

## **Dissertatio medica inauguralis de scorbuto / [Hieronymus Bierling].**

### **Contributors**

Bierling, Hieronymus, active 1640.  
Rolfinck, Werner, 1599-1673  
Universität Jena

### **Publication/Creation**

[Jena] : [Lobenstein], [1640]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/avky9yyb>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. O. M. A.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

# SCORBUTO,

*Quam*

Permissu & Autoritate Amplis-  
simæ, & Gratosissimæ Facultatis Medicæ  
in illustri ad Salam Academia,

SVB PRÆSIDIO  
VIRI

*Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi*

Dn. WERNERI ROLFINKII

Hamburg. Philos. & Medicinæ Doctoris cele-  
berrimi, Præceos & Chimix P.P. meritissimi, &  
Senioris gravissimi, Domini Præceptoris, Promo-  
toris & Patroni sui plurimum obser-  
vandi, colendi:

*Pro LICENTIA & Doctoralibus in ARTE MEDICA*

Privilegiis legitimè impetrandis

*Publico Examine submittit,*

HIERONYMUS Bierling LIPSIENSIS.

In Auditorio majori

*Ad*


SCOTT & BOWNE  
DISCOUNT MEDICAL

Permitts & Annotate Amples  
Guns, & Gunpowder, & Gunpowder Medicines  
in the United States

LAURENCE & CO. PHARMACEUTICALS  
Lancaster, Pa. & Philadelphia, Pa.  
Permitts & Annotate Amples  
Guns, & Gunpowder, & Gunpowder Medicines  
in the United States

W. H. WATSON & CO. PHARMACEUTICALS  
Lancaster, Pa. & Philadelphia, Pa.  
Permitts & Annotate Amples  
Guns, & Gunpowder, & Gunpowder Medicines  
in the United States



 Uæ singula animum scientiarum desiderio accensum, & medicæ *ἰατρικῆς* amore flagrantem satiare, multisq; voluptatibus beare possunt; illa universa in gravissimi Scorbuti titulo celeberrimi affectus natura ita concurrunt, ut unitis viribus & amicabili consortio ceu ad centrum colliment. Hic symptomatum varietate ita ludit, in varias se formas Prothei instar transformare doctus, ut sub pallio ægritudinum omnium latere, humanæ salutis antistitibus fucum facere ita aptè didicerit, quò nonnunquam chronicorum morborum optatam medicationem, admirantibus omnibus, protelet, tandemq; quasi postliminiò detectus, armis desideratis tentatus solitudini finem imponat. Quam se latè diffundat; nemini obvium non est. Insidiatur senibus, ac juvenibus, neq; adolescentia ejus effugit minas, æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumq; tures. Germaniæ Inferioris, & Belgii populis quidem est patrius & vernaculus; sed limitibus his haud contentus, nostras oras infestare audet, latiusq; suæ ditionis pomœria extendens, amænissimam, armorum valore Patriam Lipsiam tanta tyrannide subjugans, ut vix ulla platea, in plateis ædes, in ædibus inhabitatores immunes ab hoc deprehendantur malo. Nulli parcit membro, genas defœdat pallore, labia livore, in ore dentium vacillat septum, laxæ gingivæ sanguineo madent cruore, halitus ex cordis exspirat ingratus lecto, stomachus languet, seditionem splen movet, crura vacillant, & ingratis maculis oculos aspectantium offendunt. Omni modo itaq; operæ nos facturos putavimus pretium, si meditationes nostras inaugurales in amplissimum hunc extenderemus campum, summi Archiatri medicinarum fundatoris confisi præsidio. Ille nobis in hoc naturæ agro plantantibus, incrementum largiri dignetur.

NOMINIS autem sui Scorbutus originem trahit à voca-  
 bulo Saxonico, vel Belgico, *Schorbock/ Schorbuck/ aut Schör-  
 bügk/* utpote ab effectu, ventris videlicet cruciatibus & tormini-  
 bus petito. *Plinius l. 25. natur. histor. cap. 4.* eleganter explicat:  
 non bestiarum solum ad nocendum scelera esse, sed & aquarum,  
 & locorum. In Germania trans Rhenum castris à Germanico  
 Cæsare promotis, marino tractu fons erat aquæ dulcis solus, quâ  
 potâ intrâ biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus  
 solveretur, stomachacæ Medici vocarunt, & Scelotyrben. *Hæc  
 Plinius.* Vocabant autem *σωμακάκην* quasi τῆ σωματῶ κακίαν,  
 vel *κάκην* oris vitium, & foetorem: *σκελοτύρβην* ob crurum vel  
 tibiarum conturbationem, vacillationem, punicearumq; ma-  
 cularum ingratum colorem. Quidam *Regnerius Snoy*, crassâ  
 & pingui Minervâ, *secundum Salomonem Albertum*, GINGIPE-  
 DII nomine, utpote à cruribus & gingivis læsis desumpto, insi-  
 gnivit, uti testatur *Forestus l. 20. obs. 11.* *Hippocrates* nomine ma-  
 gnorum lienum, & Ileï seu Volvuli hæmatitis eundem insigni-  
 visse à nonnullis existimatur, eadem enim ferè utriusq; recen-  
 set symptomata: *Οὐλα δὲ, inquit, 2. prorheticorum secundum  
 Foesium sect. 2. p. 92. πονηρὰ καὶ σώματα δυσώδεα, οἷσι σπλήνες με-  
 γάλοι. ὀκόσσι δὲ ἔχουσι σπλήνας μεγάλης, μήτε αἰμορραγίαι γί-  
 νονται, μήτε σῶμα δυσώδες, τῶν αἰκνῆμαι ἔλκεα πονηρὰ ἴχου-  
 σι καὶ ἔλας μελαίνας.* *Libro 7. περὶ τῶν ἐντῶ παθῶν in codic. Foes.  
 sect. 5. p. 119. εἰλεον αἱματίτην ita describit: Εκ τῆ σωματῶ κακῶν  
 ὄζει, ἀπὸ τῶν ὀδόντων καὶ πᾶ ἔλα ἀφίσσεται, καὶ ἀπὸ τῶν ῥινῶν  
 αἷμα ῥέει. ἐνίοτε δὲ καὶ ἐκ τῶν σκελέων ἔλκεα ἐκφλω δάνει, καὶ  
 πᾶ μὲν, ὑγιαίνεται.* Nec alios Medicos veteres plane fugit atq;  
 latuit, ut patet ex *Galeno 2. de nat. hum. Celso lib. 11. de remed. c. 9.  
 Celio Aureliano lib 3. chron. c. 4. Paulo Aegineta lib. 3. c. 49. Avi-  
 cenna lib. 3. p. 15. tract. 2. c. 5. Tralliano lib. 3. cap. 13.*

DEFINIRI potest morbus occultarum qualitatatum, pro-  
 fectus ab humore melancholico, sive sincero, sive aliis humori-  
 bus permixto, multaq; ferosâ materiâ diluto, in visceribus pri-  
 mæ & secundæ concoctioni destinatis cumulato, & peculiari  
 modo corrupto.

GENUS,

**GENUS**, quòd formæ vicem subit, est morbus occultarum qualitatum. Quamvis enim sit complicatus, utpote non solum ex morbo occultarum qualitatum, sed & intemperiei, ac conformationis conflatus, nihilominus formalitas illius non in his sed occultis potius qualitatibus consistit, particepsq; est singularis cujusdam pravitatis.

**SUBJECTUM** non unum est & simplex, sed lues hæc timenda universam corporis amplitudinem, omnesq; microcosmi angulos animales, naturales & vitales, extremos etiam artus perreptat, molestiasq; insignes creat. **INHÆSIVE** tamen certas elegit regiones, quibus generationis suæ primordia adscribere amat. Tales sunt **PARTES NATURALES** primæ & secundæ coctioni famulantes, nunc conjunctim, nunc sejunctim. **VENTRICULUS** languet, cum pravis alimentis repletus, chylum minus defœcatum ex cibis sale fixo abundantibus parat, & præcipuè cum impuro sanguine à liene debili, quod viscus *αἱματώσε* sui generis organum, sanguinem pro nutritione illarum partium, quæ venæ portæ ramis irrigantur, concinnat, per vas breve & gastricos ramos nutritur. **VENÆ** splenicæ, & mesentericæ, & quæ ab illis ad ventriculum, & omentum, ab hinc ad *μεσεντέριον* propagantur: **PANCREAS** itidem suum non exsequitur officium, sed sentinam coacervat, unde & ipsum, meatibus obstructis, finem sibi à natura destinatum haud assequitur. **JECORIS** actio infirma est, exq; chylo, tartareo, mucoso illaudabilem sanguinem, ceu promptuarium & horreum colligit, inq; plateas & venarum suarum rivulos dispensat. Neq; **CAVITAS** sinistri hypochondrii, sub diaphragmate à ventriculi, omenti, coli & mesenterii connexu profecta, cujus mentionem facit *Hippocrates 7. aphor. 54. qui ita sonat: Οκόσσισι μετὰ ξὺ τῶν φρενῶν καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείνεται* &c. libera est. Natura ceu in aptum recessum deponere illuc potest saburram, qua oneratur, & quamvis venarum ductus patentes non habeat, invenit tamen vias, per quas & congerere, & distribuere latè potest.

**CAUSA PROXIMA** est humor melancholicus, sive siccus, sive aliis humoribus permixtus, imprimis serosa materia

dilutus, & in visceribus primæ & secundæ concoctioni destinatis collectus, & peculiari modo corruptus.

Cum enim PRIMO natura facultatis concoctricis ventriculo inhaerentis in eo consistat, ut operam suam addicat cibo atq; potui in ventriculum ingesto elaborando, inutilibus ab utilibus separandis, crassis, fixis, ut rariores, laxiores, spirituosiores & volatiliores reddantur, alterandis, chyloq; cremori ptisanæ simili conficiendo; illa autem vel per se, vel ob errorem externum διὰ τῆς ἀποτυχίας τῆς αἱματώσεως ἔργα à cibo & potu quantitate, qualitate, & utendi modo peccante proveniente, ad has suas actiones obeundas inepta redditur, & tunc crassa, tartarea, fœculenta & fixa materia chylo mixta permanet, quæ cum minimè corpori alendo apta sit, à liene perfici nequit, inq; visceribus primæ & secundæ concoctioni destinatis colligitur.

SECUNDO cum lien crassiori, & terrestriori parti chyli, in ventriculo elaborati, & per ejus dextrum orificium ad tenuia intestina delati, eliciendæ, ex eaq; sanguini licet crassiori, pro nutriendis tamen partibus inferioribus apto, pariendo dicatus sit; quando vel per se, vel ob errorem externum, proficiscentem à copia fixæ atq; tartaræ materiæ chylo permixtæ scopum hunc assequi nequit, deficit πνευμάτωσις, sit potius μόλυνσις, contingitq; materiam humoribus vitiosis tartareis gignendis suppeditari, quibus postea magis magisq; collectis, & peculiari modo corruptis vis inhæret, singularem naturam Scorbuto cognatam inducendi, sanguinem pronutriendis hisce visceribus inquinandi, similemq; dispositionem partibus imprimendi, ut & ipse tales generent humores, qui tandem per venam portæ, ad venam cavam, à venâ cavâ in universum corpus distribuuntur.

CAUSA ANTECEDENS HUMORES vitiosi, crassi, impuri, terrei, melancholici præcipuè à prædominio sunt, multa serosa humiditate perfusi, permistiq; ichoribus tenuibus, qui nonnunquam in ventriculo geniti, interdum per vas breve ex liene in cavitatem ejus regurgitantes, salivationes crebras, horis matutinis excitant.

REMOTÆ variæ sunt. NATURALIUM prima esse potest TEMPERAMENTUM viscerum sinistris contentionibus de-

deditum, & nativa quædam eorum antipraxi, quando epar plus  
justò calidius, ventriculus frigidior apparet: Lienis nativa im-  
becillitas, ut & dispositio scorbutica, ac feminalis tinctura, à  
principiis generationis hæreditarijs implantata.

NON NATURALES sunt AER squalidus, crassus, frigi-  
dus, saluginosus, vaporibus è mari & locis uliginosis exhalanti-  
bus infectus, & vel inspiratione attractus, vel per poros cutis cor-  
pori communicatus, talis enim, attestante *Eugaleno*, humores  
confundendi, corpus deses & elumbe reddendi facultate prædi-  
tus est. *Hinc Ronsens in epist. 1. ad Hadrianum Junium, ut & Hor-  
stius de Scorbuto & ante hos Olaus Magnus lib. 16. septentr. hist.* Scor-  
butum frigidâ murorum exhalatione foveri, intrâ tabulata verò  
mitescere scribit. *Experientiâ edocti uno ore testantur, in locis  
uliginosis magis grassari Scorbutum, quàm in aridis.* CARNES,  
BUBULA, CAPRINA humori melancholico gignendo con-  
venientissimæ sunt, secundum *Hippocratem l. de rat. vict. in morb.  
acut. sect. IV. p. 75. in cod. Foef. ita scribentem: Nam & melanco-  
licæ affectiones carniū BUBULARUM esu ingravescunt, quod  
earum natura minimè superari queat, neq; quilibet ventriculus eas  
concoquere possit. Quo periculo optimè defungentur, qui iis per-  
coctis & perquam vetustis utentur.* CAPRINÆ carnes, quæ bu-  
bulis insunt, vitia habent, & cruditatem, flatuq; & ructus magis mo-  
vent. *Hæc Hippocrates.* Caro etiam TAURINA, HIRCINA,  
LEPORINA, APRUGNA, attestante *Galeno l. 3. de locis affect. c.  
6. imprimis muria, salugine, aceto, (acetum enim melancholi-  
cis noxium esse testari videtur Hippocrates l. de rat. vict. in morb.  
acut. sect. IV. p. 64. in cod. Foef. ubi docet: aceti aciditatem magis  
biliosis naturis conferre, quàm melancholicis τὰ δὲ μέλαινα ζυ-  
μῆται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιᾶται. ἀναγωγὸν γὰρ  
μελαίνων ὄξϞ)* condita & fumata. BRASSICA, secundum  
*Galenum lib. 2. de aliment. facult. c. 44.* LENTES & FABÆ secun-  
dum eundem *l. 1. c. 18. 19. imò & juxta Hippocratem de rat. vict. in  
morb. acut. sect. IV. p. 74.* legumina omnia & cruda & elixa & fri-  
xa, tùm etiam macerata, tùm viridia flatuosa sunt, quanta enim  
vis morbos procreandi leguminibus inhæreat, patet etiam ex  
*Hippocrate l. 6. de morb. vulgarib. sect. VII. p. 273. in codi. Foef. In Æno*  
qui



qui continenter leguminibus vescerantur, tùm mares tùm fœmina,  
crurum impotentia conflictabantur, in eaq; perseverabant. Et verò  
qui ervo in cibum utebantur, ex genuum dolore laborabant. CA-  
SELLUS antiquus attestante Hippocrate de vict. rat in morb. acut. sect.  
IV. p. 74. in cod. Fœs. flatum & adstrictionem parit, cibos incendit,  
& incoctum edulium existit, ejusq; usus inter potandum repletis de-  
terrimum. Galenus lib. 3. de aliment. facult. 17. & lib. 2. de loc. affect.  
c. 6. LAC, secundum Hipp. 5. aph. 64. hypochondria obstructa,  
quales etiam sunt scorbutici, habentibus: PANIS ex frumento  
corrupto tempore pluviae collecto pistus, situmq; resipiens: CÆ-  
REVISIA nondum probè defœcata, ex aquis impuris & corru-  
ptis cocta, paululoq; lupuli cõdita: VINUM pendulum, tartareũ  
tanquam à solo, materiã tartarea pollente, profectum huc con-  
ferunt. Talis vel similis aeris victusq; ratio in Polonia, civitati-  
bus Hanfaticis, maritimisq; locis alijs, affectibus incolarum do-  
minatur, neq; nostris oris parcit, malumq; hoc in sinu nostro fo-  
vet, illud enim quotidie circumferimus, semina ejus fovemus,  
novosq; fœtus intemperantiã nostrã excludimus, ergastulo no-  
stræ architecturæ eminenter nocivos. SOMNUS & VIGILIÆ  
modum excedentes teste Hipp. 2. aph. 3. IRA, imprimis autem  
TRISTITIA, utpote ad spiritus sensim dissipandos, coctionem  
debilitandam, totumq; corpus refrigerandum & siccandum, ac  
melancholicos morbos gignendos comparata est. ALVUS ad-  
stricta, ut & suppressæ consuetæ sanguinis evacuationes per  
menses, & hæmorrhoides vitiosum sanguinem cumulant.

PRÆTER NATURALES causæ Febres nonnunquam ter-  
tiana, nonnunquam quartana in Scorbutum degenerant, præ-  
cipuè si adsunt viscerum imprimis lienis intemperies, obstru-  
ctio, debilitas, & vitiosa dispositio adscititia.

DIFFERENTIARUM enarratio non est obscura. Nam si  
consideretur I. FORMALIS ejus ratio, deprehendimus alium  
esse gravem & inveteratum, alium levissimum, principij limiti-  
bus adhuc circumscriptum. II. Neq; SUBJECTUM idem sem-  
per occupat, sed distinctarum partium vitio exoritur, modo  
matrem agnoscit mesenterium, modo Lienis indispositionem.  
Modo est universalis, totumq; occupat corpus & principalia  
membra, modo particularis certis membris infestus. III. Quem-  
ad-

modum & non semper ab iisdem proficiscitur CAUSIS, sed alius est hereditarius, qui à parentum semine in sobolem transplan-  
tatur, alius adscititius suboritur vel ab aëre, contagio aut victus  
ratione.

SIGNA DIAGNOSTICA inquirere nunc operæ pre-  
tium est, officio admodum necessario, in quo lapsus præcipitio  
proximus, cum quisq; nostrum tantum in curando valeat, quan-  
tum in cognoscendo. Et quidem I. RATIONE GENERIS,  
INCIPIENTI Scorbuto, quod plantis primùm erumpentibus,  
ut difficulter cognoscantur, contingit: nullum enim certum  
indiciam primâ fronte subnascitur, sed conjecturis opus est.  
Imprimis autem cognoscitur à causis & symptomatibus: Si  
AEREM hausit æger inquinatum, in illis locis, quibus conta-  
gium hoc est Endemium, ibiq; talibus alimentis, plurimo sale  
fixo abundantibus, usus fuerit: vel etiam dispositio hæredita-  
ria, à parentibus per manus tradita adsit. LÆSÆ ACTIO-  
NES eundem detegunt. SENSUS GRAVITATIS ad-  
est in abdomine, & toto corpore ob humorum ichorosorum, &  
tartareorum, vaporumq; ex ijs exhalantium copiam, quam se-  
quitur LASSITUDO molesta, difficilis, ab iisdem vasis, liga-  
mentis, tendinibus relaxatis: RESPIRATIO adest difficilis,  
& præcordiorum angustia, ob diaphragmatis à flatulento hu-  
more compressionem. PULSUS est varius, nunc debilis, in-  
æqualis, vermicularis, adeo ut repere magis quàm pulsare videa-  
tur. *Eugalenus obs. 35.* refert, cuidam Medico harum rerum  
ignaro, mirum visum fuisse, hominem tali pulsu præditum, non  
solum vivere, sed & actiones suas obire posse. VRINA modò al-  
ba, modò crassa, rubra farinam laterum in fundo repræsentans,  
ob vitiosam in vijs subsistentem materiam commotam.

AUGESCENTE, omnia ingravescent, inq; consortium  
alia trahunt symptomata, exactioribus indicijs se prodentia.  
Dum enim SUBTILIOR & acrior cacochemiæ hujus tartareæ  
ichorosæ pars *ἀνωρρόπος* fit, GINGIVARUMq; substantiæ  
molliori, teneræ & bibulæ communicatur, oritur earundem  
TUMOR, RUBOR, PRURITUS, CRUENTATIO, & tandem  
PUTREFACTIO, DENTIUM MOBILITAS, &

VACILLATIO, ut & FOETOR ORIS & SALIVATIO.

PARS verò CRASSA & gravis, dum κατ'ῥάσπεται fit, & ad crura ablegatur, perq; vasa capillaria subcutanea transfundat, MACULIS variegatis, rubris, purpureis, violaceis, fuscis cutim defœdat, atq; naturâ robustâ alias etiam in partes, pectus, brachiaq; expellitur.

IN CONFIRMATO nonnunquam VENTRIS DOLOR, dolori colico similis, diurnitate tamen, & abdominis, cum umbilico, introrsum, & intestini recti sursum revulsione ab ijs differens, oritur ab humoribus in abdomine detentis, ac ex venis & arteriis mesaraicis inter duas intestinorum tunicas effusis, membranasq; vellicantibus. Materia autem Scorbutica per vasa emulgentia ad renes & ureteres delata, doloribus nephriticis, & ob consensum membranarum à peritoneo natarum, regionem pubis, ossis sacri, lumborum vel etiam umbilici affligentibus, generandis ansam suggerit. Eadem materia ad venam lumbarem magnam copiosè demandata LUMBAGINEM inducit, ægrosq; quasi elumbes reddit: ad extrema digitorum & manuum effusa, dolori, speciem morbi gallici præ se ferenti pariendo conducit. ALVI FLUXUS & DIARRHÆA, ubi fæces compactæ, ac copia cibum ingestum superâtes, & varij coloris nunc herbacei nunc cinerij, vel liquidæ confertim & copiosè excernuntur, oriuntur ab imbecillitate epatis & venarum, non attrahentium chylum, qui tùm in primis vijs corruptus alijs humoribus permiscetur. A Liene etiam multa serosa materia, ab ipso attracta, per alvum interdum excernitur. Nonnunquam alvi hic fluxus est SANGVINOLENTUS, Dysenteriam æmulatus, indolens tamen, dependetq; à sanguine Scorbutico, per extremitates venarum in intestina effuso. ALVI ASTRICTIO cum fluxu nonnunquam permutata, ortum suum habet, partim ab aquea illa humiditate, quâ fæces diluuntur, sive à Liene sive à renibus attracta; partim ab intestini recti sursum retractione. In Perillustri & Generoso Henrico Sigismundo à Bip-pach/ Consiliario Saxonico, observasse se recensuit Amplissimus & Clarissimus Dominus Præses, Patronus meus omni obser-

van-

wantiæ cultu venerandus, sebacea frustra excrementis alvi per-  
 mixta in effatu digna quantitate, quæ non assumtis pinguibus,  
 sed singulari vitiosorum succorû conglutinationi adscribi me-  
 rentur: In nullo tamen aut hypochondriaco, aut Scorbutico  
 eadem ampliq; visa à se fuisse. Humores etiam Scorbutici ventri-  
 culo communicati & CHOLERAM, VOMITUM, & vomendi  
 CONATUM gignunt. ICTERUS non ab obstructione vesi-  
 culæ fellis, sed à flavo humore, ob dispositionem Scorbuticam,  
 Epati impressam, copiosius genito, & in totum corpus effuso in-  
 ductus interdum sese ob oculos offert. ASCITES, species  
 hydropis, emergit ex humoribus Scorbuticis, in infimo ventre  
 cumulatis, & à natura ad abdomen detrusis, ac illud in tumorem  
 attollentibus. Quando verò vapores atq; humores Scorbutici  
 ad membranas laterum & articulos ablegantur, tunc & PLEU-  
 RITIDI NOTHÆ, & ARTHRITIDI vagæ inducendis  
 sufficiunt. Ijdem cordi communicati, ad PALPITATIO-  
 NEM ejus & LIPOTHYMIAM pariendas conferunt. Ad  
 dentes autem & caput elevati, DENTIUM & CAPITIS  
 DOLORI, CALORI, VIGILIIS NIMIIS: spiritus  
 animales inquinando, MELANCHOLIÆ, DELIRIO:  
 principium nervorum opticonum obstruendo, CÆCITATI  
 subitanæ: spiritus animales quasi figendo, & torpidos reddendo,  
 LETHARGO, CARO, CATALEPSI: nervos hume-  
 ctando, & comprimendo PARALYSI: nervosum genus vel-  
 licando, ac spiritus animales obfuscano, CONVULSIONI,  
 MOTIBUS CONVULSIVIS, EPILEPSIÆ:  
 principium nervorum obstruendo, & comprimendo APOPLE-  
 XIÆ procreandis conveniunt. Nonnunquam HÆMOR-  
 RHAGIA narium resultat à materia Scorbutica, facultatem  
 expultricem ad talem excretionem stimulante. Eadem quoq;  
 materia ad ambitum corporis protrusa, varias tumorum diffe-  
 rentias, nunc pedum INTUMESCENTIAM, TUMOREM  
 OEDEMATOSUM, nonnunquam ratione crassiti-  
 ei TUMOREM DURUM, & CONTRACTIONEM  
 pedum parit. Facies per intervalla RUBORE ac CALORE  
 quodam à vaporibus Scorbutis, ex hypochondrijs ad faciem,

elevatis, perfunditur: Ab iisdem humoribus & vaporibus nonnunquam **D O L O R E S V A G I**, varias corporis partes vellitantes atq; lacinantes, adeò, ut nonnunquam ægri carnes sibi divelli ac dilacerari conquerantur, nonnunquam **F I X I ὀσθονόμοι**, vel potius ossifragi, utpote qui sonitum ossium fractorum ita edunt, ut fracturam etiam mentiantur: **H O R R O R E S** etiam eodem die ægrum bis affligentes, & omni aliàs subsequenti calore destituti, sicuti & **C A L O R N O C T U R N U S** sine horrore & frigore invadens, & usq; ad tempus matutinum durans dependent. **F E B R E S** nunc lentæ, continuæ, maculis rubris, tumoribus in inguine apparentibus præditæ: nunc intermittentes typumq; observantes, nunc omni typo destitutæ, & vel bis de die, ter, quaterve, interdum trium, quatuor, quinq; dierum intervallo affligentes, imprimis autem febres **Scorbuticæ**, Naturam febris tertianæ nothæ sive simplicis, sive duplicis adeptæ in conspectum veniunt: Discernuntur autem à febribus à veteribus descriptis, ratione supra commemorati pulsus, urinæ, ut & aliorum signorum, ab *Eugaleno* & *Sennerto* prolixè descriptorum. **A T R O P H I A** vel totius corporis, vel cruris oritur in principio ab alimento, cacochymia, Scorbutica inquinato, corporiq; alendo inepto: & hac ratione facultas nutrix ob errorem externum læditur, morbo procedente, ista dispositio vitiosa partibus imprimitur adeò, ut magis magisque materia Atrophicæ suppeditetur. Nonnunquam ante oculos ponuntur **V L C E R A S I C C A**, omni pure & sanie destituta & Telephia, quod, secundum *Æginetam l. 4. c. 46.* Telephus, Misiæ Rex, tali in ulcere consenuerit, dicta. Ulcera hæc interdum ita gangrænosa fiunt, ut ægri neq; ad ferrum inflictum, neq; ad motum pyroticum sentiant, imò ex tali ulcere crustoso sæpè mortificatio toti cruris oriri potest, nisi maturè crusta è reliquo corpore segregetur. *Eugalenus obs. 2.* Neq; solùm cruribus, sed & aliis corporis partibus hæc ulcera interdum inhærent, adeò, ut idem testetur, in facie talia ulcera apparuisse, & circa tempora in nigrum, tetrum, malignum ac glomerosum, quod carcinoma Græci vocant, degenerasse. Variæ quoq; corporis partes, imprimis digiti pedum **G A N G R Æ N A**

NA & SPHACELO detinentur, quod malum maculæ nunc rûbræ, nunc nigræ præcedunt, has subsequitur ulcus crustosum, omni farie destitutum, tandem lineis rubris & purpureis, supra juncturam pedis, secundum tibiæ longitudinem, apparentibus, mortificatio unius vel alterius digiti pedum sequitur.

RATIONE SUBJECTI, ut & CAUSARUM indicia operosè allegare non est ad eò necessarium, cum, an Scorbutus sit epaticus, spleneticus, etiam an hæreditarius, an certis ex occasionibus adscititius meditando investigari haud difficulter queat.

PROGNOSTICA SIGNA plurima, quibus suam dignitatem Medicus præmunire potest, observatio quotidiana nobis suppeditat, imprimis autem SALUTIS & MORTIS. Et quidem RATIONE GENERIS, attestatur experientia incipientem, & qui nondum radices egit, ac ex hæreditaria imbecillitate viscerum inducitur, medicamentis ritè adhibitis haud difficulter propulsari. Si verò dominio assueta semina ejus dispergantur, candestinis artibus inquinant viciniam, magnisq; laboribus vix evelli queunt: imò licet obicem poni sibi nonnunquam patiantur, recrudescit tamen malum, primo vere novas molitur seditiones, nec autumno semper quiescit, sed ægrum lenta absument insolentia, imò non rarò commoritur. Difficilis itaque est curatu. II. RATIONE SUBJECTI, præcipuè ille, in quo Lienis *αιμάτωσις* læditur, ejusq; temperies, & calidi innati œconomia ab occulto humorum *μιάσματι* impetitur. III. RATIONE CAUSÆ, ut & qui hæreditarius, endemiusq; ab inordinata victus aut aëris ratione quotidie fovetur.

LONGUS sua Natura est Scorbutus & Chronicus, non solum infinitis molestiis, sed & ipsa desperatione gravissimus.

MODUS EVENTUS, terminatur tamè rariori exemplo ad SALUTEM, quando naturæ robore causæ morbificæ edomantur insensibili dissipatione, vel sensibili, ablegatis iisdem ad alvinam

regionem, unde oriuntur Diarrhææ Scorbuticæ salutares, quibus, longo temporis tractu, Natura vel spontè, vel medicamentis superfluo onere se liberat. AD MORTEM vel ærumnosam vitam rarò solus tendit, ut plurimùm in societatem gravissimos morbos per *μετέπλωσιν* recipit, & sumtis viribus robur facultatum prosternit. Tales sunt Cachexia, Hydrops, Atrophia, nonnunquam Paralysis, Lumbifragia, ac tandem Gangrænas & Sphacelos adsciscit, translata materia ad nervos.

CURATIO nunc est aggredienda, quæ nititur INDICATIONIBUS ordinarijs. CURATORIA ipsum affectum, ceu rem præter Naturam actiones lædentem auferre jubet. PRÆSERVATORIA humores Scorbuticos, manifestis & occultis qualitatibus peccantes, alterandos, evacuandos, vaporesq; elevatos dissipandos, & revellendos, partiumq; singularem intemperiem, ne similes humores generet, corrigendam esse monet. VITALIS observat facultatum custodiam per alimenta, & medicamenta. MATERIÆ præsidiorum ex notis desumuntur fontibus.

I. CHIRURGICO: ubi venæ sectio, quæ, præmissis aliquo leniente, in principio, ægri cum commodo imperari potest; præcipuè si plethora polleat, & consueta sanguinis evacuatio defuerit. Vires ut plurimùm ita sunt comparatæ, ut sustinere queant aliquem sanguinis ventilationem. Commodus locus est mediana, ex utraq; basilica & cephalica conflata, licet in vero suo coalitu ferè nunquam secetur, sed in radicibus. Salvatellæ manus sinistri apertionem nõ infructuosam judicamus. In mensium defectu venæ pedis aperiendæ, neq; quæ sub lingua videmus hypoglottides prætereundæ, in molesto oris statu, si Naturâ viam hanc monstrarit. A CUCURBITULIS & FONTICVLIS non est abstinendum, illæ impurum sanguinem in extremis venis detentum, cutimq; foedis maculis deturpantem minuunt: hi ad serositatum ichorosarum expurgationem miris modis profunt.

II. PHARMACEUTICO: qui medicamentis insistit, quorum faraginem conquirere, perquam tædiosum est, præ-

præstantiora solum, quorum vires ratio & multiplex experientia comprobavit, selegimus.

**P**RÆPARANTIA, quæ partim humores vitiosos demulcent, crassos, ♀ reos seu viscidos incidunt, terreos succos humectant, calidos frigefaciunt, acres & falsos edulcorant, viasq; per quas evacuari debent, aperiunt, quanto habeantur pretio, testatum reddit, eleganti elogio, Divinus *Senex. 2. aph. 9.* Talia autem sunt: Ceterach, Lingua Cervina, Scorzonera; Fumaria; Lupulus, Borrago Buglossum, Cochlearia, Trifolium Aquaticum, Raphanus rusticanus, flores Genistæ, Chamædrys, Chamæpitys, Melissa, Cuscuta, Helenium, Gentiana, Cortices tamarisci, fraxini, capparis, cremor & Crystall. ♀, ♀ ⊕ lat. Syrupus byzantinus simplex, & compositus, de quinq; radicibus, de eupatorio. **H**UMORES ritè emendati, secundum *Hipp. sect. I. aph. 21.* quò maximè vergunt, eò ducendi per loca convenientia: & cum humor melancholicus & scorbuticus deorsum feratur, tunc etiam, *attestante Hippocrate sect. IV. aph. 9.* ut plurimum PURGATIO per alvum instituta quadrat. Ante omnia, autem perpendendum, quod inchoando à lenioribus, ad fortiora paulatim progrediendum sit, ne improvise turbatus ferociat, Naturæq; vim inferat. Hùc conveniunt Folia Senæ, Epithymus, Gialapa, Syrupus Rosarum & Violarum solutivus, Cichorij cum Rhabarbaro, de Polypodio, de Pomis regis Sabor. Electuarium Diacatholicum, Extractum Ellebori nigri, pulvis fennæ compositus, Diasenna, Pilulæ Tartaræ Quercetani, Aggregativæ, de Fumaria, de Ammoniaco.

**V**OMITORIIS etiam si secundum *Hippoc. sect. IV. aph. 4.* ætatis tempus, constitutioq; ægri comparata sit ad aliquam facilitatem, *4. aph. 6.* vel etiam humores sursum vergant, *4. aph. 17.* ægrotis nonnunquam auxiliari possumus, lenioribus, aut etiam validioribus. Experientia enim testatur, vix alio auxilio, humores crassos, contumaces, circa Pancreas, ventriculum, Lienem, Epar collectos, in chronicis morbis evacuari posse. **M**A T E R I Æ sunt, radix Afari, Atriplex, succus & semen Raphani, cortex medius juglandis in furno exsicca-



siccatus, Anethi semen, sal  $\text{\textcircled{D}}$ li vomitivum ad  $\text{\textcircled{D}}$ i, item vitri antimonii infusum exhibitum.

SUDORIFERA, & DIVRETICA his nonnunquam subjunguntur, quæ reliquias in centro viscerum, & in ambitu corporis hærentes per *ἀδελον διαπνολω*, sudorem, & renes expellere valent. A proprietate juvant Antiscorbutica, beneficio salis sui volatilis specifici, quibus communia conjungenda, ut Bezoarticum minerale, quod, si cum Sole, Luna, vel Marte componatur, secundum præscriptum *Johan. Hartman. in Crollii Basilicam*, efficacius erit, sal Absinthij, Cardui benedicti, Mistura simplex, spiritus Cochleariæ, Sambuci, C.C.

ALTERANTIA SPECIFICA, & ROBORANTIA his adnectere necessarium est, quibus vis inhæret, non solum manifestis qualitatibus intemperiem, & obstructions viscerum emendandi, eorundem tonum conservandi, sed & labem occultam oppugnandi, ac humorum cruditatem, deficientem coctionem ac fermentationem corrigendi. Ventriculus stomachicis indiget, ut: Elixiri Proprietatis Paracelsi, vel cum succis Absinthij, Becabungæ, Cochleariæ & malvatico parato, item vitrioli Minsichtiano. Lienem solamur pulvere cachectico *Quercetani*, vel *Hartmanni*. Mars in forma acidularum, secundum *Platerum*, Croci, Tincturæ, Vitriolacei salis mirificè conducit. Cichorium, ut & Scorzonera ad Epar, & alias corporis partes corroborandas faciunt. Celebris illa, & innoxia radix Chinarum, ut & prælonga, enodis, uniformis, speciosa Sarsa Parilla, ac lignum Sassafras, grato fœniculi odore se commendans, huc etiam faciunt. SINGULARITER à PROPRIETATE excellunt, Cochlearia, Nasturtium utrumq; , Becabunga, Raphanus, Sinapi, Chelidonium minus, vermicularis, Aqua Scorbutica *Quercetani*, *Doncrelii*, *Sennerti*, Syrupus Scelotyrbicus *Foresti*. *Heinricus Hoierus, in quadam epistola*, baccas Chamæmori, de quibus *Clusius in historia plantar. rarior. lib. 1. c. 85. scribit*, ita commendat: ut earum, sicuti electuarij ex ijs parati usum, Cochleariæ, Becabungæ & Nasturtio anteponat. DECOCTA ex linguis & radicibus

cibus, cum antiscorbuticis, ut & ACIDULÆ, THERMÆ  
intus cum regimine exhibitæ juvant, lapsam Naturam & debi-  
litate[m] eligunt ad clavum omnium functionum ritè obeun-  
darum.

III. DIÆTAM, qui feliciter curationis Scopum attingere  
desiderat, ut observet, necesse est. AER sit lucidus, purus,  
temperatus, sive naturâ talis, sive arte per fumum fragrantem  
paratus. CIBUS boni succi, facilis coctionis: viq; attenuan-  
di, incidendi, fixi salis coagulationem impediendi præditus:  
floribusq; Borriginis, passulis, capparibus, succo & corticibus  
citri, floribus Anthos, Croco conditus convenit. EMBAMA-  
MATA etiam ex Raphano, Nasturtio, Cochlearia, Sinapī  
confecta. POTUS sit vinum purum Rhenanum, Cerevisia  
defæcata, in quibus Carduus benedictus, Absinthium, Scolo-  
pendrium, Cochlearia macerentur. MOTUS sit mediocris,  
ac ante cibum instituendus. TRISTICIA est fugienda,  
licitisq; oblectamentis mens reficienda. ALVUS SUPPRES-  
SA cienda, sicut aliæ consuetæ EVACUATIONES inhibitæ  
promovendæ.

COMMEMORATA autem SYMPTOMATA, causis suis  
ablatis, facile propulsantur, modò cuiq; sua, pro ratione par-  
tis affectæ, adhibeantur medicamenta, quorum tractatio, ut-  
pote rationem nostri instituti excedens, ex *Ronseo, Reusnero,*  
*Sennerto* petenda.

---

## COROLLARIA.

**A**N Pleuritide correpto in principio  
morbi vena in opposito cubito sit a-  
perienda. A.

Nùm omnis evacuatio Symptomati-  
ca sit mala. N.

C

Utrum

Utrum prægnantes sint purgandæ. D.  
Nùm venæsectio gravidis compe-  
tat. D.

---

**S** Corbuto quæ conveniens Medicina, venustè  
differis, huicq; malo pharmaca docta paras.  
Audiit hæc Phœbus, legitq; & dixit: habebit  
dona meus Cultor strenuus iste brevi.

Paulus Marquartus Slegel.  
Phil. Med. D. p. t.  
Rector.

---

**O** Mnigenas urbes, postquam, velut alter. V-  
lysses  
Lustrasti, & mores hominum scrutatus es; ad nos  
Plenâ Doctrinæ gazis es mente reversus,  
Ut TE nec Coisenis, aut inventa Galeni  
Pergamei lateant, nec quæ Paracelsus abyssis  
rara tenebrosis clausit mirâcla benignæ  
Naturæ, Chimicis investiganda Magistris.  
Ubere ab hocce penu prodit SCORBUTICA  
CURA;  
quæ

quæ Tibi, supremos Medicinæ ut debet honores,  
sic mox attribuet toto plaudente theatro.

*Hoc benevolentissimo Voto,*

*TE, BIRLINGI excipio, & animitus apprecor: CEDANT  
OMNIA EX VOTO. Morum gravitati, vitæ in-  
tegritatem & humanitatem conjunge: sic animis ho-  
minum dominabere, splendoreq; singulari præfulge-  
bit doctrina Tua medica, quam Experientia ad usum  
artis comparata confirmet, ut fructus ferat Hono-  
rum bonorumq; quibus hac peritura vita destituta,  
est aterna miseria. Benedicat Deus consiliis tuis o-  
mnibus*

GUERNERUS RÖLFINCK  
Præses.

F I N I S.



